

ENSIFERUM REGIUM, 27

ILLUSTRI RAMSÆORUM GENERE NATUM,

H. E.

S. R. M. SARMATIARUM

CLEMENTISSIME PRIMO DENOMINATUM

BURGGRABIUM,

ILLUSTREM,

MAGNIFICUM, MAXIME STRENUUM,

GENEROSUM, NOBILISSIMUM ATQUE AMPLISSIMUM

DOMINUM

CHRIST. FRID.

RAMSEY

PRÆ-CONSULEM GRAVISSIMUM,

*ET XENODOCHII SPIRITUS S.*

HOSPITALAREM

MERITISSIMUM,

DEPRÆDICAT,

VOTISQUE EXCIPIT ARDENTISSIMIS

GYMNASIUM ELBINGENSE,

MENTE MANUQUE QUAM HUMILLIMA

EPHRAIM GOZZOB MARSILII

OO. L. PROF. EXTRAORDIN.



**V**enit in conspectum Tuum, *VIR Per-Magnifice, Insigne gentilitium, Regali manu Jacobi VI. Regis Scotiae, in perpetuam rei haud vulgaris, memoriam, Joanni Ramsey donatum, qui a lateribus Regi inserviando, bigam latronum, regicidarum, alium lethali vulnere sauciavit, alium quam felicissime enecuit; Comites nempe Gauriae, Scotos, in vindictam, propter necem parentis, capite ex jure & debito olim truncati, summe & inconsiderate accensos; ac Dominum suum mortis faucibus eripiendo liberavit, Ær. Christ. 1600. a) Parum huic fuit Joanni ex Illustrigente Ramsæu, inter Britannos, anno inde 1337 quam fulgidissima, Alexandrum, terrestris Scotorum militiæ ducem b): Waltherum, Episcopum Rossensem: Alexandrum, Abbatum Dunfermlinensem: Heinricum, judicii terrestris in Comitatu Tifano assessorem; Wilhel mum a Davide II. Rege, Comitatu hoc Tifensi clementissime donatum c): Joannem, Regis Jacobi III. Marschal-*

a) Vid. Rod. Botereus Comment. L. VII. p. 240. Cambden in Scotia p. 687. & 709. Em. v. Meteren, *Niederländische Historie* p. 112. seq. Lanfius in *Orat. pro Britan.* p. 555. Zalander im *Historischen Welt-Spiegel*. p. 110. *Abriß der Souverainen von Europa* P. VI. p. 364.

b) Vid. Buchananus L. IX. *Histor.*

c) Cambden in *descriptione Britanniae* p. 704.

Ichallum d): *Alexandrum* maxime strenuum, qui arce Dunbritton a Proregis exercitu obsessa, muros conscendendo aliis viam felix stravit e): *Carolus*, civitatis Thaodon (Dundy) Consulens: *Thomam*, Elisabethæ Reginae avo, Oligarcham in curia Angliæ superiori s. Lord Majorem f): *Patricium*, cohortis prætoris Francisci I. Galliarum Regis Centurionem g); parum, inquam nostro fuit heroi, tot tantosque habuisse sanguinis sui autores, *Avos, Atavos*. Vix hæc sua putavit. Noluit alieno fulgore, sed potius propriis radiis, virtutibus suis, lucere. Inde factò illo egregio, quo hostis, Domini sui sanguinem ac mortem expetiit, Regiam est adeptus clementiam, & in hujus tesseram insignia accepit, *gladium, cujus mucronem corona aurea, medium vero transfixum cor ornat*. Quibus insigniis potior familiæ Ramsæorum pars hodiernum, ex singulari Optimi Principis indultu, utitur. Postea Eques hic Britannus, tot nominibus præclarus, cum DEO & die Comes de *Holdernesse* existit. h)

Seculo XV. Deus, qui homines eorumque res pro lubitu versat, e gente *Ramsæa*, per totius fere Europæ tractus, diffusa, ubique gloriosa i), ex Britannia Elbingam nostram venire fecit *Carolus*, mercatorem tunc temporis florentissimum, qui nominis sui filium genuit & educavit, *Consulem*, hic vero natum, *Præ-Consulem* factum, qui sex & triginta per annos *Præ-Consulares* gessit fasces, & tantum non octoginta ætatis emensus est; cujus *Inclyti Viri* memoria, apud honoratiores cives nunquam erit intermoritura. *Hic Te Illustris Domine*, per DEI gratiam genuit; formam Tuam, quæ *VIRUM* promisit & in ea sobolem totam *Patri æmulam*, non sine cordis tripudio vidit, cujus post beatam *Analysin*, supremi *Patriæ Collegii Senatorii*, *Collega*, *Senator*,  
 Con-

d) Cambden c. l. p. 697.

e) Buchananus & Thuanus L. 49.

f) Stow. in Annalibus Angl. p. 381.

g) Hos præter, quos cursim indicavimus, sunt plures, quos quorumque res gestas enarrant. Manroe in his expedition. P. II. p. 63. 79. 101. Bogisl. Philipp. v. Chemnitz Krieg in Deutschland P. I. p. 233. P. II. p. 580. 643. 987. Magnus Grotius sæpius *Jacobi Ramsæi* meminit, epist. 754. 800. 806. 837. 851. 882. 892. 900. 935. 943. 1233. conf. Puffendorff de rebus Suec. p. 289. seqq. Theatrum Europæum. P. III. quod effigiem hujus *General Maj. Scoti* exhibet.

h) Rich. Backer in his Chronike of the kings of Engeland p. 586.

i) Passim hodie fit mentio Ramsæorum v. c. *Andr. Michaelis* morum formatoris Principum de Bouitton, Biographi Ducis de Turenne, auctoris des reisenden Cyrus; Gespräch des Cyrus mit dem Pythagoras; eine Reise-Beschreibung der Wahrheit und Gerechtigkeit & reliqua conf. J. N. Nemeritz vernünftige Gedanken über allerhand Materien. IV. Theil. Item. *Chiliarchæ Svec. It. Capitanei Angli* in Americam navigantis vid. Genealog. Histor. Nachrichten. P. VIII. p. 744. item. *Comitis de Dolhausir* vid. Abriß der Souverainen in Europa VI. Theil p. 364. & 386.

*Consul*, tandemque post aliquot annorum decursum *Præ-Consul*  
 applaudentibus Musis, civibusque bonis, ad unum omnibus, es  
 creatus. *Vice-Præsidis*, & ante biennium *Præsidis* sparta ornatus,  
 ipse eam, quod liquido constat, & nullo præcone indiget, ornasti,  
 collustrasti. Jam nunc, Te *Coronatus Patriæ Pater*, *Vicarium* sibi,  
*Regium Burggrabium Princeps noster clementissimus* facit, gladio-  
 que nomine ejus utendo, primum cingit, ut publicæ rei carcino-  
 mata contremiscant, Tuque Regis cœlitus nobis dati in exem-  
 plum, parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodes;  
 ubi vitiorum gravitas exiget, punias, nullum majus Sententiæ  
 Tuæ pretium statuens, quam *bene judicasse*. *Ensifero* igitur *Regio*,  
 Tibi, ad Honores sæpe numero quidem annuos, at & summos  
 ascendenti, omni quã mens concipere potest observantia, sub-  
 misse, cordicitus gratulamur. Sic enim *Illustris Tuæ gens*, *Gen-*  
*tilitium Britannorum decus*, novo inter Borusso-Elbingenses  
 splendore collucet. Sic redivivus est in Te laudatus ille justitiæ  
 & innocentie Regiæ protector ac defensor; redivivus Tuus  
 colendissimus semper pie defunctus *Parens*. Sic Te intuens,  
*Patre digna propages*, bene in stadio currens, novum calcar  
 adipiscitur magis strenue decurrendi ac promerendi & aliquando  
*Honores Patrios, Avitos, capessendi*. Sic posteritas, tantos *Titulos*  
*Tuos* relatura, studium omnemque intendet laborem, ut non  
 æque Patrum donis, ac suis met inclarescat. Maeste igitur virtute!  
 esto malitiöse progeniei terriculamentum, bonæ indoli per fugi-  
 um; solamen & in laudem miseris piisque. *Vivas, Vigeas, Floreas*,  
 æternum Tibi contingat felicitas. Venerabimur *Per-Magnifi-*  
*cos Præ-Consules, Mæcenates* omne per ævum: laudabimus *No-*  
*bilissimos Consules*, sed nec edax unquam vetustas in mentibus  
 nostris & posteritatis nostræ oblitterabit *memoriam, famam,*  
*gloriam RAMSÆORUM.*

